





1730

8. Hoffmann, Fridericus: *Pyctographia Helveticæ sine  
partim et mineralium in aëro Helveticæ descriptio.*

9. Hoffmann, Fridericus: *De doloribus.*

10. Hoffmann, Fridericus: *General sectionis abusus*

11. Hohenstl., Dan. Fridericus: *Ep' Explicatio loci sexatissimi  
in Horatii lib II salys. 7. i ut vitale putes<sup>s</sup>. Recusa  
una cum inscriptione in obitum Nicoli Hieronymi  
Gundtingii ... fortiori impressa.*

11<sup>b</sup> Hohenstl., Dan. Petrus: *De principe legibus liberis*

12<sup>a</sup> Frickerius, Joannes: *Propempticon inaugurale: De diserto  
securi circa nova medicina.*

12<sup>b</sup> Frickerius, Joannes: *De uenerealogiae medico.*

12<sup>c</sup> Frickerius, Joannes: *Munus venereæ socii in calidis  
et frigidis regionibus frequentibus et administrando.*

13. Lüderig, Joannes Petrus de: *Differentiae juris Romani  
et Germanici in personam furti.*

1730

14<sup>a</sup>, b, c Ludovicus Ioannes Sibius, de: Differentialis iuris Romani et Germanici in stipendio matrimonii spe. 3 Sept 1730,

1735-ct 1748

154, 6 Ludovicus, I. Sibius, de: Differentialis iuris Romani et Germanici in causa ejusque reguli 25 Sept 1730 et 1736

16 Michaelis, Christ. Benedictus: De poenis capitalibus in I. Art. p.  
tura communiuatis ac Hebraeorum inservit

17. Wulff, Jacob Gabriel: Kurzer Entwurf des vornehmesten  
Grundsatzes seiner jurisprudentiae ecclesiasticae, wie  
der jurisprudentiae naturalis



ESSERATRIO - PHARMACO - MEDICA

DRYOPHAGAPHI

IN HALEN SIVE

PHILIVM ET MINERALIA IN

ACRO - METRIS - AGRICOLA

PRESIDE

A FRIDERICO HOFFMANNO

ET PROSPERITATE MATERIA

PRO -

GRADV DOCTORIS

AMMISCVS IN MEDICINA PRIVILEGIIS RIBI IMPETRANS

ET L. Q. C.

Publice - Inquisitioni expedito -

Academia - MDCCLXVII -

THEATRUM -

Hist. nat. II. Cen. in 2 H. 1730.

90. 3  
1730 210

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**VENÆSECTIONIS**  
**ABVSV**  
QVAM  
PROPIPIO NVMINE SVMMO  
PRÆSIDE  
**DN. FRIDERICO HOFFMANNO**  
SENIORE FACVLTATIS MEDICÆ  
ET h. t. DECANO  
AD OBTINENDAM  
**DOCTORIS MEDICINÆ**  
DIGNITATEM

a. d. Aprilis anni R. S. ccccxxxx.

H. L. Q. C.

Publicæ disceptationi submittet  
**Christian Gottlob Wahl,**

HALENSIS.

---

HALAE MAGDEBVRGICÆ,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

ALERE PROGRESSUS

VIRI

PROSTO ET SUMMA

PROSTO

OLERIDE TIO HOMANNO

SEMINEA TUDATUM MELIOR

ALERE SEMINA

ADQUITINENDA

DECOTORIS MEDICINA

PROSTO

PROSTO ET ALERE

PROSTO

PROSTO ET ALERE

PROSTO

PROSTO ET ALERE

PROSTO



LAURET 1000 CHIENALIA LIBRARIUS AEGYPTIACUS



DISSERTATIO IN AVGURALIS.

DE

# VENÆSECTIONIS ABVSV.

PROOEMIVM.



Venadmodum certa &  
rationalis, morbis, qui in corpus  
incident humanum, recte me-  
dendi methodus, in exquisita  
causarum, quæ motus præter  
naturam efficiunt, & corporis æ-  
grotantis in quo vires suas exer-  
cent, notitia, præcipuum suum habet fundamen-  
tum; ita vicissim empirica, incerta, fallax, intuta, imo  
noxia, medendi via hæc est, quæ sine vera morborum  
theoria & exacta naturæ corporis ægrotantis, inpri-  
mis quoad solidorum & fluidorum ad certos motus,

A. 2

dispo-

dispositionem, cognitione adornatur. Jam quidem nullus facile eorum, qui Medicinam tractant & facit, confitebitur, se sine theorie medicæ & pathologiæ veræ fundamento sua perficere; quin potius omnes rationales, & esse, & haberi, volunt. Ast si curatius paulo, theoria ipsa quam jaicitant medica examini subjicitur, loco verarum & sufficientium causarum, nomina perorant sterilia, quæ nec claram explicationem, neque realem ad quicquam demonstrandum vel inueniendum applicationem admittunt; vel plane insufficientia principia, adeoque meras hypotheses, non omnibus casibus atque phænomenis applicandas, obtrudunt, ac præterea dum physico-mechanicas ex necessitate agentes causas in conservatione corporis vitali, plane excludere nituntur, remediiorum vires & operandi modum demonstrare & intelligenter exponere prorsus nequeunt. Verum itaque ac firmum morborum curationis ac præservationis fundamentum, in veritate theorie medicæ, quæ exactam corporis humani in individuo, morborum omniumque earum rerum, quæ corporis statum meliorem, vel deteriorem reddere possunt, notitiam, requirit & habet, ita unice positum esse judicamus, ut omnes errores, hallucinationes, quæ in praxi non sine vitæ & sanitatis dispendio sæpe, proh dolor! occurrunt, ex falsa, vel minus perfecta, hypothesis nitente, theoria medica, proxime & immediate originem suam mutuentur. Falsam autem, inutilem, inio interdum noxiā, non dubitamus

pro-

pronunciare illam theoriam , quæ ex historiis morborum minus completis , neglectis maxime principiis anatomicis & physico - mechanicis , quæ sola demonstrationi in Medicina apta sunt , desumitur & adjuvante speculatione metaphysica consuitur . Tota enim medendi ars in judicando , quid bonum , vel malum ? quid salutare , vel noxiū ? certis & constantibus nititur relationibus ; nec ullum datur in rerum natura remedium absolute in certo morbo proficuum , aut vicissim noxiū . Ad has autem relationes , quæ artem , & difficilem , & judicisam reddunt , penitus intelligendas , plures observatio-nes , & ad has explicandas plures scientie , cum methodo analyticā , utique sunt necessariae . Atque etiam ex neglectu harum relationum & theoriæ spe-cialissimæ factum esse arbitramur , quod tantæ , inter Medicos circa remediorum , in hoc , vel illo morbo , salutarem , vel minus tales , operationem , vi-geant dissensiones ; ita prorsus , ut quod alter in certis morbis miris encomiis celebrat , alter vicissim da-mnet penitus & cœu noxiū rejiciat . Sed omnia hæc , divinæ arti tam opprobriosa dissidia , quam fa-cile ad factum historiæ morbi , si quis anatomicis physico-mechanicis principiis instruetus , dijudicari possunt & dubitationes decidi . Id enim pro certo habendum , nullum generosa & præstantissimæ vir-tutis remedium dari , quod minus recte applicatum , non possit nocere graviter . Exemplo nobis jam erit sanguinis missio , sive per venam sectam subtractio-

A 3

Hujus

Hujus utique in praxi medica manifestissima sunt comoda, adeo, ut non tantum ad arcendos a corpore morbos, verum etiam ad periculum in iis si præsto sunt avertendum ipsosque sanandos, præsidium sit sumnum. Vicissim si promiscue, si empirice, nullo individui causæ morbi, temporis, virium habito respectu, admittitur, tam grave quam ullum aliud remedium, damnum inferre potest. Quæ quod ita sint, & quam graviter subinde morborum artifices in præcipienda venæsectione delinquent, id jam fusius paullo atque curatius dissertatione hac inaugrali deducere & demonstrare constituimus. Cui utilissimo labori, ut divinum Numen suam addere velit gratiam, est quod ardentibus efflagitamus precibus.

## §. I.

**P**rius vero, quam ipsam nobilis huius argumenti tractationem ordiamur, tenendum: eadem quam alia præstantia & efficacia remedia inter varias medicorum sectas, venæsectionem expertam esse fata. Fuerunt enim, qui sanguinis articialem per venam sectam subtractionem, damnarunt plane, & ceu viribus ipsique vitæ admodum infensam, penitus tollere haud sunt veriti, quorum classem ducunt HELMONTIVS & plures ex Chymicorum schola, in Anglia THOMSONVIS, & superiori adhuc seculo, in Belgio BONTEKOE, BLANCHARDVS, OVERKAMP, GEHEMA aliisque plures. Putabant quippe: laudabiles succos in corpore

re redundare vix posse, sanguinem ipsum esse virium ac vitae thesaurum, & proximum anima ad exsequendas suas operationes instrumentum, vires autem in morbis nunquam esse labefactandas ac minuendas, sed custodiendas potius & firmandas; adeoque sanguinem neutquam subtrahendum. Et si forsan continget, ut humor superfluus, qui ad morbos ansam dare possit, gigneretur, longe tutius & rectius eundem inedia, abstinentia aliquot dierum, nec non motu & exercitatione corporis, vel remedii diaphoreticis vel laxantibus absumi, quam inimica naturæ venæctione. At vero & D. PRÆSES, & cl. STAHLIVS, in scriptis suis passim sufficientibus & gravibus argumentis hanc sententiam refellerunt, ac demonstrarunt: etiam ex optimis per digestionem præparatis succis, abundantiam boni sanguinis generari, vita & sanitati insidias struere, morbos efficere, eos etiam graviores reddere, optimumque in se ac temperatum sanguinem, per copiam difficulter circumuenti in pravum & impurum converti, & hinc saluberrimo instituto, in foeminis æque ac viris, per nares, uterum, haemorrhoides statis & certis periadis sanguines emissionem fieri spontaneam. Ac licet non negandum sit, temperantia in viatu, abstinentia, motu & labore, superfluorum humorum & sanguinis generationem prohiberi, veramque etiam consumtionem procurari posse; frustranca tamen esse ejusmodi media, quæ tempore egent, & dimitti ius præcipitem quandoque medendi occasionem,

ubi

ubi ex plethora periculum actu imminet , atque id nullam moram patitur, sed præsens auxilium postulat.

## §. II.

Contrariam huic, ob defectum notandæ merito , intentiam , & que noxiæ , professi sunt , qui ad alterum extremum, excessum, delapsi, omnium fere morborum ortum & causas , ex nimia sanguinis abundantia deducunt atque derivant , eaque propter liberales nimium sunt in sanguine profundendo , ac in omnibus tantum non morbis venam secundam esse præcipiunt prætereaque sciunt fere nihil . Etenim sanguinis & bonorum succorum in vasis copiam, hæc nimium distendendo, lentius justo progredi , ipsifcere , imminutis excretionibus sordibus inquinari & vitalibus motibus infensam fieri , eaque propter subtractionem exigere , est utique certum . Sed paratione vicissim firmum est ratumque : sanguinis & bonorum succorum defectum ac inopiam , sive parciorem justo quantitatem , cum vita & sanitatis periculo junctam esse & fœcundam morborum suppeditare matrem , ac ob id conservationem potius , quam consumtionem sanguinis poscere . Vires enim quæ functionibus , & vitalibus , & animalibus , & naturalibus , præsunt , sufficientem omnino sanguinis & humorum , ad facilem & liberam circulationem , quantitatem postulant ; hæc autem imminuta ad solidorum robur naturale , vim motricem ac tonum non sufficit , his vero clangescientibus , labascit illico humo-  
rum

rum progressus, sanitas ipsaque vita. Testes hujus sunt ii, qui sanguinem non adeo copiosum in venis alentes, eundem subtrahi patiuntur, inprimis paulo largius, quippe qui, haud raro sub ipsa missione, suspento cordis & arteriarum motu, animo deficiunt, in animalibus postea æque ac voluntariis motibus, notabilem persentisunt languorem, & oppressis viribus, de digestione languente & stomachi gravitate justas edunt querimonias. Quid? quod etiam in vulgus notum est, effuso nimium ex vasorum systemate sanguine, cum viribus vitam & animam effundi. Ut adeo, vel ex hisce tantum, abusum etiam in sanguinis missione frequentissime committi posse, pareat abunde.

## §. III.

Sed quia nostro hoc ævo mirum quantum invalescit sanguinem indiscretim, subinde non sine summo ægrotantium damno, profundendi mos; dignitas rei utique postulat, ut argumentum hoc excutiamus überius. Inducuntur autem plerumque morborum artifices ad præposteriorum ejusmodi consilium falsa illa hypothesi: quasi morbi tantum non omnes orirentur ex plethora. Quare ipsa demonstrandi methodus primo omnium exigit, ut hanc confutemus, & evictum demus: plurimos & præcipuos morbos, non a sanguinis & humorum abundantia, sed ex longe aliis causis, maximeque virium & succorum inopia, ortum ducere. In quo quidem recte perficiendo, ex veræ pathologiae principiis in genere re-

B

peten-

petendum erit : nullum morbum, sive præternaturalem in solidis & fluidis corporis nostri partibus mutationem, sine præcedente violenta quadam, in nervo-musculofas, quæ motibus præsunt membranas, actione contingere ; hanc actionem, vel augendo & intendendo, vel minuendo & destruendo, vel etiam varie alterando & determinando vim motricem, morbosam illam mutationem inducere, idque vel per nimiam harum exquisitoris sensus partium distensionem, vel compressionem, tractionem, puncturam, iancinationem, roctionem, aut continui laesionem ac dilacerationem. Causas vero hos naturæ humanæ adeo inimicos effectus præstantes, non unius ejusdemque indolis ac generis esse; alias mole & quantitate nimia; alias mole exili & varia particularum perversa figura & qualitate acri, falsa, caustica; alias materia crassiori; alias subtiliori; alias exhalatione putrida, sulphurea, vaporesa; alias nimium relaxando & colliquando; alias nimium constringendo & exsiccando, calore aut frigore impensiore, noxiū edere hunc effectum. His vero omnibus tam diversi generis morbificis causis tollendis, an ullo modo satisfacere queat sanguinis missio, nemo, quantumvis perspicax & acutus, capere valet.

#### §. IV.

Iam, si specialius ipsas morborum origines disquirimus; stupenda profecto exiguitatis sunt illæ exhalationes, quæ malignos, pestilentes, petechiales, dysen-

dysentericos, exanthematicosque morbos inducunt, ac quæ intima corporis subeundo iisdemque adhaerendo, motuum in solidis & fluidis œconomiam graviter pervertunt; ita vero comparatæ, ut neutriquam sanguinis subtractione amovert queant & eliminari, sed potius eo firmius impingantur. Quam topere solus immaterialis actus, ob commercium animam inter & corpus, sine ulla materiali, quantitate, vel qualitate delinquentे causa, universum partum nervosarum systema afficiat & præter naturam commoveat, quamque graves & exitiales sæpe, chronicæ æque ac acutæ passiones, inde accersantur, testantur animi affectus, moeror impensus, angor, metus gravis, cura ac solicitude, terror, ira vehemens, cum profundis assiduis meditationibus. Quæ omnia, ubi accident, sanguinis missio, nisi eminens concurrat plethora, utique plus detrimenti affert, quam emolumenti.

## §. V.

Populares dein morbi, qui uno tempore; ob insolitam temporum constitutionem diuturnam subitasque tempestatum vicissitudines, infestant plures, uti sunt ex febribus maxime catarrales, benignæ & malignæ, intermittentes, tam quotidianæ, tertianæ, quartanæ, quam anomalæ, arthriticæ, synochicæ cum cacochymia complicatæ, rheumaticæ, pleuriticæ spuriæ & hujus generis aliæ, longe frequentiores & periculosiores sunt iis, quibus sanguis & succi laudabiles deficiunt, quam quibus

B 2

abun-

abundant, ac sanguinis missionibus utplurimum & graviores redduntur, & contumaciores. Qui milites, ob perpeuum in castris interdiu aestum, noctu frigus, toleratam famem, vigilias, victum & potum insalubrem, nec non inquinatum putridis effluviis haustum aerem, affligunt autumno & in hiberna concedentes, graves morbi, tanto magis si putridorum genium habent & sumnum spirituum & boni sanguinis defectum arguunt, tantum abest, ut venæctionem ferant, ut potius inde exacerbentur ac teste R. A. M. A. Z. Z. I. N. I. de morb. artif. pag. 292. id, remedii genus suspectum semper fuerit observatum, quin funestum.

## §. VI.

Quæ biliosus humor, vehementi ira subito & cum impetu ex universo ductuum biliariorum sistente in duodenum exturbatus, mora acrior & corrosivus factus, ventriculi & aliarum partium nervosas sentientes exquisite membranas, lacinando, vellicando & spasmodice constringendo, suscitat mala, cardialgia syncoptica, febres inflammatoriae, cholericæ, tertianæ continua, causi, iætericæ, lentæ & hecticæ, omnis fere generis evacuationes, maxime omnium vero sanguinis, respiunt, ac potius demulcentia, diluentia, & sedativa poscunt. Morbi, qui ex vitio digestionis & dejecto intestinorum & ventriculi tono oriuntur, multi & graves, ac colluvie crudorum acido-viscidorum succorum nerveis tunicis inherentiū, has rodendo, vel ubi in flatus resolvuntur, distendendo

stendendo sunt molestissimi, maxime iis, qui natura  
debiliores, a morbo diurno convaluerunt, otio &  
gulae indulgentibus, senibus, etiam lactentibus, co-  
licæ flatulentæ, plurima hypochondriæ affectui  
juncta pathemata, vomitiones, diarrhoeæ, phlogosæ,  
eructationes, tuffæ, cephalalgia, interdum etiam  
convulsiones, tantum abest, ut a sanguinis subtractioni  
one quicquam levaminis accipiant, ut potius immi-  
nuto inde plus robore, magis ingravescant.

## §. VII.

Mitto iam illos atrocibus symptomatibus stipi-  
tos morbos, qui a morsu vermium in intestinis, a cal-  
culo asperiori & grandiori in uretheribus & biliaribus  
dnctibus, nec non urinariæ vesicæ collo, a materia  
arthritica articulorum membranas tendinosas roden-  
te, a punctura tendinis, aut alia externa violenta  
causa accidere solent, quibus omnibus nihil plane  
cum sanguinis plenitudine commercii, ac proinde  
etiam cum ejusdem subtractione, nisi admodum per  
accidens, ut symptomatibus occurritur, sed longe  
alia indicantur auxilia. Neque etiam dicam de con-  
tumacibus ac gravibus, quin funestis sœpe occurren-  
tibus passionibus, asthmate humido, suffocativo ca-  
tarho, pectoris aliisque hydropis speciebus, synco-  
pe, cordis palpitatione, quæ a polyposis in corde  
& majoribus vasorum concrementis, post mortem  
reperiundis, ortum ducunt. In his enim cunctis, ve-  
næsecchio, nisi forsitan ad præservationem, locum in-  
venit nullum, ac potius est detimento. Neque mi-

nus quotidiana & funesta sunt exempla eorum , qui ex hausto potus frigidi, corpori sudanti ingestu, ventriculi inflammationem, phthisin , lentam & hecticam febrem, hydrozem, hypochondriacos sic dictos spasmodicos morbos incurrerunt. Sed quid etiam his in morbis a sanguinis missione expectari queat auxilii, nec ego, nec quisquam alias in arte exercitatus, perspicere valet.

### §. IIX.

Præter hos autem, a causis, figura irregulari, subtilitate inimica & mole parva nocentibus, inductos morbos, sunt adhuc alii, qui non tam a sanguinis & seri corrupti copia, quam potius delibatisimæ succorum substantiæ defectu ingignuntur , ac venæsecctione in ea propter minus commode ferunt. Hos inter primum merito locum obtinere videtur, venea & scorbutica lues, cui variaæ morborum exterorum cutem defœdantium species, accedunt, lepra, herpes, scabies, furunculi, tumores in ulcerâ mali mores desinentes. Omnia enim hæc vitia, neutiquam a sanguinis & humorum plenitudine fiunt, neque etiam, ut in simplici cacochymia accedit, intemperie sive dyscrasia viscida, aut falsa nituntur, sed potius in defectu spirituascentiæ succorum, sive inopia subtilioris, purioris & spirituosi elementi, quod in sanguine a Veteribus vitalis, & in cerebro animalis spiritus, nomine fuit insignitum, suum habent fundamentum. Hujus quippe si sufficiens adest quantitas, humores in crasi, consistentia & mixtione naturali servan-

servantur quam optime, ac a corruptela vindicantur; ubi vero deficit, fluida corporis a naturali *exsiccatione*, unione & mixtione perquam facile desciscunt & in corruptionem ac vappescentiam abeunt. Et certe quantum ad servandam fluidorum integratatem conferat nobile hoc subtile elementum, in physicis testimonio sunt aquæ, tam pluviales, quam fontanæ, minerales quoque & medicinales, quippe quæ aufugiente ab ipsis subtili ætherea elastica materia, non modo saporem genuinum cum virtute medicamentosa amittunt, sed & facile corrumpuntur atque putrescent. Idem vino accidit, quod subtili & spirituosa sua parte orbatum, vappam contrahit, ac immutata plane pristinâ mixtione ac unione, sub leni digestione degenerat in acetum. Atque etiam ex his facile repetenda ratio ingentis illius in malo scorbutico corruptionis. Causæ enim ipsius ut plurimum sunt aër densus, humidus, materia elastica in locis humidiорibus casus, cibi exsucci, indurati, crassioris compagis, subtili elemento orbi, potus aquarum stagnantium, crudarum spirituosa parte destitutarum, cum vita otiosa motusque experte. Quæ omnia, junctim sumta, corpus non modo viribus defraudant, sed & succos a naturali indole desciscentes & in corruptionem pronos ingignunt, unde postea gravissimi memorati morbi ducunt originem.

## §. IX.

Denum in perquirenda mörborum genesi & hoc memorabile occurrit, quod plures ex iis, ut apoplexia

plexia, deliria, phrenitides, ventriculi inflammations, hemoptyses, peripneumoniae, paralyses, neque a sanguinis & humorum abundantia, neque intemperie ac dyscrasia, in se spectata, originem ducant, sed potius incusandus sit error quasi loci incongrui in quem succi & sanguis delati. Id enim non infrequens est, per aliarum, etiam saepe remotarum partium strictruram, spasmos, flatus, animi affectus, corporis exsiccationem, calorem & factam postea refrigerationem, aliasque causas, sanguinem propelli in capillares tubulos, qui secundum naturam sanguinem nec capiunt, nec ferunt, sed tenuorem humorem, cruentem in eos actum harrere ibi, colligi & impactum suscitare mala tam atrocia. Sanguis autem sic in angustissimis vasis incarceratus, nettiquam evacuatione artificiali facta liberatur, eaque propter venæ sectio auxilium afferre valet, directe nullum, licet, si plerora urget, ad intercipiendum majorem ad partem laborantem afluxum, & impediendum inflammationis incrementum, deriuandi fine usum habere queat. Nec aliter de sanguinis missionis usu in intermittentibus sentiendum. Si enim in carum genesin inquirimus, eas plerumque vitii in aere, aut pravi victus, fetus esse constat. Nihil autem ipsis commercii cum sanguinis plenitudine, eaque propter ejusdem subtractione neutriquam tolluntur, sed experientia teste redundunt chronicæ, nisi in reservatis quibusdam casibus, ex accidenti, plerora eminentे, eadem judicetur necessaria.

§. X.

## §. X.

Destructa sic momentosis rationibus falsa illa  
hypothesi: plurimos morbos a plenitudine sanguini-  
nis & inde oriunda humorum spissitudine, origi-  
nem ducere; in genere utique simul evictum est: in-  
stitutam ad ipsius ductum venæctionem, subinde  
vel plane noxiam, vel minimum inutilem, esse. Ut  
vero dein in specialiori disquisitione huius damni,  
omnia innotescant eo clarius & scrupulis eximan-  
tur; paucis adhuc prius indicandum: quando san-  
guinis missio sit opportuna ac utilis. Iam experientia,  
certissima veritatum medicarum parente, constat: cor-  
pora habitus spongiosioris, copiosis & tenerioribus  
vasis, qualis ut plurimum esse folet feminis, dotati, acce-  
dente lauta diæta & vita otiosa, succos, sanguinem  
lymphamque nutritiam gelatinosam longe uberi-  
us gignere atque in vasorum systemate supra mo-  
dum colligere, quam quidem illa corpora, quibus  
strictior fibrarum contextus, venæ ampliores ten-  
dinesque robustiores, tanto magis si labore exercean-  
tur, nec vietus adeo laetus est ac liberalis.

## §. XI.

Dein ex principiis mechanicis est notum: eo  
plus decedere virtuti motrici illius corporis, quod  
movere debet aliud, quo major movendi, sive ma-  
teria mobilis, est resistentia. Vnde extra omnem  
dubitacionem positum, in corpore etiam humano,  
aucta nimis sanguinis & humorem copia resistente,  
imminui ac debilitari cordis & arteriarum systolen,

C

cum

cum fibrarum musculosarum tono, hoc facto, tardiorum fieri fluidorum cursum atque progressum, impeditionem quoque partium, tam utilium, quam inutilium, secretionem & excretionem. Atque adeo nequamquam dubitandum, quin sanguis hoc modo, ratione spissitudinis, cursus impeditioris, stagnationis, infarctus & obstructionis, vitium capere & morbos ingnere possit.

### §. XII.

In ejusmodi itaque corporis constitutione, nisi consultius abstinentia, aut motu corporis auctiori succorum redundantia consumatur, sanguinis per artem substractio praesertim si ex mora periculum, necessaria est & ad arcendos morbos perutilis; tanto magis, si suetæ sanguinis per nares, haemorrhoides, vterum, venæsectionem & scarificationem, evacuationes, retardatæ, cessarint plane, aut fuerint intermissæ, & ex laborioso vitæ genere, in sedentarium atque tranquillum, facta fuerit mutatio. Quod si etiam sanguis copiosus, facta ad vasorum amplitudinem & solidarum partium robur relatione, ad stagnationem, maxime in visceribus infimi ventris, ob peculiarem venæ portæ fabricam ac functionem, proclivis est, eaque propter, uti ex variis colligi potest symptomatis, chronici metuendi sunt morbi, venæsectionis usus est certe præstans atque incomparabilis. Quin, quandocunque corpora manifesto plethorica, variis ex causis subito incident in morbos, quibus etiam alias venælectio directe non convenit,

venit, semper omnino primo omnium solvenda plethora, tum ad præscindenda symptomata truculenta, tum etiam faciliorem sanationem & expeditiorem remediorum operationem.

## §. XIII.

Nunc, viso breviter genuino venæsectionis usū, facili negotio ob oculos poni possunt luculenter, gravia illa damna, quæ, si, uti hodie ubique fere sit, sanguinis missio, indiscretim perperam instituitur, excipere solent. In quo exsequendo, primo omnium censuram meretur, illa erronea, tam vulgi, quam Chirurgorum, ipsorum etiam Medicorum minus peritorum, opinio, qua omnibus ferme hominibus, ad corpus a morbis vindicandum, venæsectionem verno tempore utilem ac necessariam esse putant. Id quidem certum, quod inēunte vere, quo sanguis, hieme ad corporis exercitationem minus apto, sub impeditiore perspirationis successu, uberius collectus, atmosphæra iterum calidiori reddit, expandit sese majusque affectat spatiū, iis, præsertim qui ad generationem copiosi sanguinis proclives sunt, ad præscindendos ex succorum plenitudine imminentes morbos, utile ac necessarium sit, ut copia exundans subtrahatur. Interim tamen id neutiquam censendum universale. Non enim in omnibus tum adeo sanguine plena vasa, ut depletionem poscant, quin quandoque plane virium languor adest atque debilitas, sive per morbum prægressum, immoderatos animi affectus, vigilias nimias, aut digestionis &

appetentia vitio fuerit inducta. Quod ubi accidit, sanguinem non perdere, sed potius ingnere & longe aliis praefidiis servare decet. Vidimus certe plures, corporis tenuioris ac debilioris, post sanguinis, in primis paullo liberalius, institutam vere missio nem, in majorem virium prostrationem, gravativum & pressorium artuum dolorem, neque minus in rheumaticas & catarrahales incidisse febres, quae, accidente medentis errore, desierunt tandem in lentas.

#### §. XIV.

Pari ratione falsa est opinio illa pervulgata: non nisi circa æquinoctium, ante, aut post illud proxime, venæsectionem esse adornandam. Nam licet plurimi Medicorum mirabilem prorsus æquinoctii in corpus humanum influxum esse credant; istamen alius est plane nullus, quam qui a calore solis pendet, neque certa semper tempestatum ratio, sed interdum plurimis ante æquinoctium diebus, interdum circa illud, mitior & calidior atmosphæræ est constitutio. Quare nos, ex mente ipsius HIPPOCRATIS, qui in omni magna ac subita tempestatum vicissitudine, quæ æquinoctii tempore est maxima, dissuaderet mediciones magnas, venæsectionem, cum ipsis Helvetis, tutiorem judicamus Februario mense, si serenum est cælum, ubi non tantæ aëris sunt mutationes, quæ perspirationem nire lœdunt. Atque etiam si aliquot ante æquinoctium hebdomadi bus,

bus, incidat infuetus calor, minime exspectandum æquinoctiale tempus, sed plethoram citius solvendam esse censemus, ne sanguis ob expansionem in venis, periculum intentet.

## §. XV.

Non autem frequentiora sunt Medicorum in præcipienda venæsectione delicta, quam in femellis. His enim quia solennis spontanea sanguinis per uterum emissio, huius successum, nunquam fere non urgent morborum artifices, & sanguinis missione in pede proritare nituntur. Si forsan occurrit virguncula ægrotans, agens decimum circiter quartum ætatis annum, quo plerumque erumpere solet pri-mum uterina purgatio, in hac provocanda illico sunt toti. Licet autem in iis, quæ angusta & exilia habent in utero vasa, ac ceterum natura sunt sensibiliores, difficulter admodum succedere soleat eru-pcio prima, multaque valetudinis afferre incommoda; pessime tamen sanitati consolunt ii medentum, qui menses moventibus & sanguinis missionibus, fluxum procurare pertinaciter & vi contendunt. Lenissime enim & circumspete tractanda sunt tenera ejusmodi corpora, tam medicamentis, quam ipsa venæsectione, quæ, nisi manifesta plethora & vasorum turgescentia poscat, plus erupturi sanguinis effluxum impedit, quam adjuvat. Longe vero melius balnea, infusus aquarum mineralium potus, frictiones, balsamica temperata & potus ordinarius accommo-datus, desideratum hunc mensum fluxum eliciunt.

## C 3

## §. XVI

Multo magis adhuc , vel conscientiæ causa , no-  
tandum illud præposteriorum quorundam molimen ,  
quo , ubi mensum defectus adest , ut hunc restitu-  
ant , omnibus viribus , reluctante ipsa natura , pu-  
gnant . Euenit enim saepius , ut a puerperio , largi-  
ori lochiorum fluxu stipato , a prægresso diuturno  
succos conflumente morbo , mensum profluvii sta-  
ta periodo , bis , vel ter observetur defectus , aut par-  
cior successus . Quod ubi animadvertunt illi pletho-  
ram ubique crepantes Medici , ad majus , ut put-  
tant , avertendum periculum , repetitis venæsecçio-  
nibus instant , quin quandoque eminenagogis paullo  
fortioribus , ex radice bryoniæ , croco , labina , myr-  
ha , baccis lauri , cum vino aut aqua infusis , aut et-  
iam in elixirii formam redactis , nec non balsamicis  
pilulis , motum simul corporis quantum fieri pot-  
est validum , imperantes , menses iterum emovere  
conantur ; quem tamen potius imbecillia ejusmodi ,  
succis bonis viribusque exhausta , ac malis ex vacillan-  
te digestione succis referta corpora , clementioribus  
laxantibus , stomachicis temperatis & jusculis nutri-  
entibus fuissent excipienda . Vnde non mirum , ex  
præposta ejusmodi medicatione , miserias in lon-  
ge maiorem conjici miseriam , in cachexiam , len-  
tas febres , quin ipsam hecticam funestam . Nos  
certe novimus complura , veritatem hanc , licet o-  
diosam , confirmantia exempla , e quibus etiam est ,  
quod in femina , tenerioris & debilioris constituti-  
onis ,

onis, vidimus. Profuderat hæc post partum sanguinem largiter, cum tanta virium prostratione, ut nec caput, nec corpus, sine metu animi deliquii erigere posset. Periit postea appetentia, succedit lenta febris & calor cum ventris torturis, simulque elapsis sic aliquot mensibus, substitit, ob sanguinis inopiam, mensum fluxus. Ad quem revocandum, instituta aliquoties sanguinis missio & datae pilulae sic dictæ balsamicæ, eo cum effectu, ut virium decrementum increaseret, febris purpurea & petechialis succederet, & hac depulsa, hecūca presso pede obreperet febris, ac intra mensis spatum, sanguinem cum ipsa vita absumeret.

### §. XVII.

Non leviora sunt intempestivæ venæsectionis damna, iis in morbis, qui ex imminuta, aut restitante plane uterina purgatione, sensim succrescunt & diu extrahuntur, chlorosis, cachexia, virium & appetitus prostratio, lensus calor, cum atrophia. Enimvero primordia horum morborum ex menstrui fluxus vitio repetenda esse notum est quidem ac certum. Neque etiam negandum, venæsectionem, mature & circumspecte administratam, interpositis aliis congruis remediis, egregie prodesse. Sed quando res eo devenit, ut elasto jam aliquot mentium, aut longiori temporis spatio, infectis magna labore humoribus, atrophiae phthisicæ & hecūcae sit suspicio, cum eminentiori virium defectu stipatae; perperam ad primam illam causam dirigitur medicatio, ac ut menses

menses extundantur, iterata adornatur in pede venæfæctio. Nam hac methodo fieri aliter nequit, quam ut malum præsens increbat, & consumtis cum sanguine viribus, mors acceleretur. Atque etiam sic omnino evenire, testatur experientia, qua novimus, complures feminas, ob impensum diuturnum animi mœrem & angorem, incidisse in infuetam ipsis mensum difficultatem, sanguinem misisse, eoque adeo debilitasse stomachum, ut vomitu rejecerint omnia; sedato vomitu, successisse dein erraticam febrem, cum quotidiana quadam intermissione, mensibus tum penitus retentis, ut redirent, iterum venæfæctionem admisisse miseris, sed pejus habuisse, & lentam febrem, in phthisin & hecticam veram degenerantem, incurrisse, cum vita jactura. Quare firmiter omnino, ceu practicum axioma, tenendum inculcamus: in lentis seminarum febribus, multo magis hecticis ipsaque phthisi, licet ex mensum defecitu primam traxerint originem, menstrui fluxus per venæfæctiones aliaque remedia revocationem, moniliandam esse nunquam.

### §. XIX.


Eadem ferme ratio illius feminis adeo frequentis passionis hystericae, quæ universum nervofarum partium systema male afficit & multis gravibusque symptomatibus stipatur. Nam huius quoque incubabila ex deficiente sanguinis superflui per uterus excretionem; atque etiam si recens malum est, sanguinis missio, cum judicio adornata, præsidio est cœgregio,

gregio, tanto magis, si ipsius operatio postea medicamentis roborantibus, sanguinis spirituascentiam & circulationem liberiorem promoventibus, secundetur. Ast, si jam anno, aut longiori tempore, firmas egit radices & in feminis porosi corporis habitus eo processit, ut a magna stomachi inflatione syncopes, facies pallida, cordis palpitationes, artuum tremores & quæ alia gravitatem mali indicantia pathemata, acceperint, vena secunda cautio ne summa, ne, uti saepius, si inconsiderato fit, accedit, symptomata aliquantis per inducias dare visa re crudeliant, sed potius thermalium aquarum potu & balneo, junctis balsamicis, medicatio perficienda.

### §. XX.

Quæ omnia sicuti de feminini sexus ex mensurum vitio morbis ubertim constant; ita non minus obvia medica peccata, quæ in virili sexu, ex præjudicio de salubritate hæmorrhoidalis fluxus, subinde committuntur. Eadem autem tenenda de his, quam quæ modo inculcavimus. Scilicet quamvis in morbis, qui post restituentem consuetum hæmorrhoidum fluxum impetunt, in cachexia, hydrope, tympanitide, atrophia cum lenta febre & virium prostratione, statim ab initio cum cœperunt gigni, proficuum esse potuisset, si vena secca fuisset & usurpata ea, quæ sanguinis cursum ad intestina crassa maximeque rectum placide direxissent; frustra tamen non modo, sed & cum certo damno postea in his quæri-

D tur



tur auxilium, quum mala longiori mora invaluerunt & jam insignem viscerum labem introduxerunt. Tantum interest, ut Medicus observet opportunitatem & medendi occasionem, qua dimissa, priora, quantumvis egregia præsidia, postea juvant nihil, quin nocent.

### §. XXI.

Inprimis severa censura dignus, pathologicus ille, qui sectariis multorum animis altius insidet error: hypochondriaci mali originem unice fere pertendam esse ex plethora & sanguinis spissitudine, nec non deficiente hæmorrhoidalis fluxus successu. Quo induiti, ruunt dein in errorem therapevticum: sanguinem esse subtrahendum, ani stolidum proritandum & corpus valide movendum. Ast tot & tam gravia a venæctionis in hypochondriacis abusu damnata notavit D. PRÆSES, ut per ipsam conscientiam, perversam ejusmodi medicationem non possit non detestari magnopere & ab eadem serio dehortari. Enimvero si originem hujus passionis dispicimus, naturæ upplurimum debetur infirmitati, sive nativa sit a parentibus accepta, sive studiorum & animi intemperantia, aut aliis vires attenuantibus contracta. Quæ etiam detinet corpora, bonis succis & sanguine plerumque sunt destituta, ac præterea ipsis illis gravibus spasmodicis pathematis, animi upplurimum potentia ac in errorem proclivitate stipatis, longe magis adhuc infirmantur. Vnde non mirum est, sic afflictos & jam debiles, crebris venæctio-

ſectionibus crebrisq; per pilulas fortioribus purgationibus, in pejorem valetudiniſ ſtatum adduci, & ſuccedere maiorem virium languorem, inappetentiam, animi & p̄æcordiorum anguſtiam, melancholicas mentis turbas, cum pulſu debili & inæquali. Quæ autem circa portæ venam in mesaraicis & hæmorrhoidalibus vasis adſunt stagnationes, neque ſpiſſitudini ſanguinis, qui emiſſus plerumque appetet tenuiſſimus, neque copiæ boni, cujus magis p̄æſto eſt defectus, unice tribuenda, ſed potius virium imbecillitati ſolidorumque robori dejecto, fluida contenta minus efficaciter propellente; caue propter liberaliori ſanguinis subtractione obſiſmantur potius, quam ſolvuntur. Et illa hypochondriacos in iſimo ventre ſubinde male habentia ſymptomata, tormina, dolores preforii ac tensivi a lumbis ad ſacrum excurrentes, quibus quandoque jungitur dolens venarum in ano protuberantia ac humoris ſanguinolenti viſcidi cum tenebro ſeceſſus, effectus læpius atque producta ſunt ſpasmodorum iñteſtina gravius detinentium, quam ſoliuſ plethorae indicia.

## §. XXII.

Præterea ultro quidem largimur, in morbis qui a ſanguine in vasis maxime abdominaliſ ſtagnante oriuntur, ſpasmodicis ſcilicet iñteſtinarum doloribus, veſicæ urinariæ miętum ſufflaminante ſpasmo, indeque pendente dysuria contumaci, nec non doloribus tensivis dorſi, iſchij atque etiam iñteſtini recti, ſanguinis miſſionem in pede utiliſſimam eſſe iis, quo-

D<sup>2</sup> rum

rum corpus succis plenum & vasis non adeo minutis dotatum. Sed ubi tenerior corporis habitus, vasa exiliora, nec vires adeo vegetæ, idem hoc remedium, licet symptomata primum minuere videatur, curam præstat mere palliativam, ac pathematum atrocia sensim non modo iterum postea succrescit, sed & increscit. Quin, ipsa venæsectionio, crebro & intempestive instituta, ad ejusmodi stagnationes ac inde oriundos morbos disponit, tanto certius, si corpora imbecillia sunt atque tenuia. Etenim illæ sanguinis & humorum stagnationes, non semper a copia ipsorum pendent, saepe potius a deficiente va-  
lorum vi motrice, progressum humorum servante, quam vero sanguis nimium subtraetus magnopere labefactat. Vehementer igitur delinquunt ii Medi-  
ci, qui in hisce morbis non nisi ad sanguinis abun-  
dantiam, quæ tantum particularis ob deficientem ibi  
virtutem motricem est, medicationem venæsectione  
dirigunt, non vero, ut roborantibus ac diluentibus  
solidis robur reddant propellens, ac liberum & ex-  
peditum sanguinis procurent comheatum, quo ta-  
men omnes hæ passiones quam optime aut penitus  
tolluntur, aut minimum multum levantur.

### §. XXIII.

Neque hac occasione reticendum, crebram &  
inconsulito institutam venæsectionem, corpora ad  
affectus subcutaneos, & qui ex seri acrioris impuri-  
tate fiunt, reddere disposita. Nostro hoc tempore  
inter exanthematicos hos morbos maxime frequens  
est

est purpura, quæ vario colore, maculis ac pustulis etiam subinde prodit non modo sola, sed & aliis morbis complicatur, ac insuetis plane gravibus symptomatibus ut stipentur, facit. Causam autem huius frequentia nullam aliam subesse autumat D. PRÆSES, quam quotidianum intemperatum, calidorum potuum, maxime ex fabis coffee usum, cum sanguinis missione, jam nostris plus quam septentrionalium regionum incolis familiaribus. Illis enim calidis potibus sanguinis & humorum massa multis heterogeneis, salino-alcalinis, ex parte empyreumaticis, inficitur particulis, & calor ipse motum intestinum intendendo in corporis succis alienas multas gignit materias, ac præterea quæ insunt subtiliores reddit simulque deteriores. Venæctiones autem crebriores in omnibus fere, debilioribus & feminis maxime, sedentariae vitæ sub potu parciori diluente addictis, sanguinis ad capillaria subcuranea vascula affluxum minuendo, perspirationem impeditiorem ac ut retinentur illæ sordes, faciunt. Cui, si accesserit alvi segnities, magis adhuc inquinatur humorum massa, nec mirum, conflari sic fermentum quasi exanthematicum, demum prorumpens & morbum inducens. Idem vero etiam cum aliis curis defæcationibus succedere, ipsius experientia fide constat. Novit Dn. PRÆSES, in corporibus a febre chronicâ restitutis, adhuc tamen languentibus, instituta æquinoctii tempore sanguinis missione consuera,

D 3 eru-

erupisse brevi post per omnem ambitum ulceræ & abscessus tetros, quorum coalitus, recrudescente saepe exulceratione, medentibus multum facessivit negotii. Ratio huius in proclivi. Febrili quippe intestino motu diu perseverante, ipse sanguis intenuë, impurum, salsum serum est resolutus, simularque solidorum robur morbo ita attritum, ut sordium genitarum per convenientia emunctoria non rite perfici potuerit excretio. Detracta dein per venam sectam adhuc sanguinis parte, reliqua intus contenta ætherea elastica materia, facto spatio, impensius agitatus, utique plus in serum impurum est dissolutus, quod retentum pariter, exclusit materiam inducendæ scabiei aliisque cutis defecationibus idoneam.

#### §. XXIV.

Quod si etiam jam in corporis succis praesto est ejusmodi materia sanguinis mixtioni & nervosis partibus intesta, eaque propter extus pellenda, podagræ, arthritica, erysipelacea, purpuracea, variolas & morbillos faciens, cum venæ sectione mercandum est cautissime. Quando enim vasa repleta sunt sanguine crasso, in quo genuina plethoraæ missionem urgentis continetur ratio, neutquam sub initium statim si vena pertunditur nocet, sed potius inimicæ illius materiae ad corporis ambitum secessum adjuvat. Verum si venæ plus sero sanguineo, quam ipso consistente sanguine sunt oppletæ, viresque imbeci les, sanguinis subtractione nihil est dete-

deterius atque nocentius. Hoc etenim factio impe-  
lit excretio, ac potius retrocessio fit materiae, quae ad  
interiores nobiliores exquisitoris sensus partes de-  
lata, suscitat ibi pathemata ac damna gravissima.  
De quo obvia passim sunt exempla, facile recensem-  
da, si tempus ferret & occasio. Inprimis de pur-  
pureo exanthemate est in comperto, id difficulter  
penitus eradicari, sed relinquere quasi fermentum,  
quod reviviscens, crebro morbum inducit eun-  
dem. Interim si placida ipsius ad cutem fit emissio  
& debito regimine excipitur, vacat periculo & post-  
ea redit sanitas; si autem præposta sanguinis  
missione, illud retinetur exantherma, atrocia sym-  
ptomata, melancholici, maniaci & apoplectici in-  
fultus ac suffocativi catarrhi cum convulsivis quan-  
doque motibus, succedunt, tanto certius in teneri-  
oribus ac animo mobilioribus.

### §. XXV.

Mitto jam turbulentos illos sanguinis motus &  
perniciose sanguinis congestiones inflammatorias,  
quas venæfæctio, liberalius justo minusque oppor-  
tune instituta adducere valer, de quo noxio effectu  
sanguinis missionis, non in uno, sed duobus locis  
adornatae, tres consignavit observationes HILDA-  
NVS cent. VI. obs. XCII. Is autem non prætereun-  
dus venæfæctionis abusus, qui subinde committitur  
in iis, qui pathematis spasmodicis, convulsivis &  
epilepticis detinentur. Recte enim jam pridem di-  
xit HIPPOCRATES: spasmos & convulsiones non-  
tan-

tantum a repletione fieri, verum etiam ab inanitione. Quæ posterior causa ubi subest, ac morbus non ex nimis aucta sanguinis bene consistentis copia, sed serofi potius atque attenuati nimium vitio accidit, vertus vena, nunquam non augetur & contumacior redditur.

### § XXVI.

Ceterum in genere de venæctionis in ipsum sanguinem effectu, inter omnes qui rationem sequuntur ducem, est pro certo: post eam relictum in vasis cruentum magis attenuari, eo quod particulae aëreo-elasticæ, quæ nunquam non in ipsius sinu hospitantur, mole nimia antea compressæ, facta ventilatione, in vacuum cedunt locum, sese expandunt & irrequieto suo motu sanguinem interfluum agitando, crassiores moleculas discerpunt, attritu attenuant eoque majorem ipsi conciliant tenuitatem. Vnde, nostra quidem sententia, vix certior sanguinem mittendi est indicatio, quam ubi viscidus is & crassus comparet, a colore obscurro Veteribus dictus atrabilarius, qui in aqua multum substantiæ gelatinosæ dimittit cuiusque serum mox post emissionem in offam supranatantem densatur. Sic enim comparato sanguine, utilissima ipsius misso, tum ut tenuior reddatur atque fluxilior, tum etiam ut eo promptius circumagi & solidis robur fenerare possit. Contra ea, si sanguis jam tenuis nimium est atque serofus, ac deficientibus moleculis solidescitibus, plus aëris, quam sanguinis venis inest,

ineft, ipfe quoque sanguis emissus & frigefactus respuit coagulum, venam fecare damnosum est atque perniciosum. Quam ob rem atro merito carbone notandus ille nonnullorum passim obvius praetitus error, quo nimium sanguinis, per tuffum, sputum, narium, uteri, aut ani venas, fluxum, iterata sanguinis, non bis, sed vel quinques & sexies intra mensem subtractione, cohiberentur. Nam licet profluviū ad tempus conquiescat & pallietur quadanterus, neutiquam tamen tollitur, sed sanguis inde tenuior factus simulque imminuta perspiratione acrior, eo magis per apertos tubulos exitum affectat & malum vehementia rerudescit majori.

### §. XXVII.

Sed nolumus diutius immorari enumerandis hisce tædiosis Medicorum delictis; in primis quum Dn. PRÆSES jam passim in variis scriptis hæc cum aliis perstrinxerit, maximeque in *dissert. de imprudenti medicatione multorum morborum causa*, nec non ea, quæ de medicis morborum causa, inscribitur. Subjiciemus potius tantum ex pluribus utilissimas cautelas, ad evitanda damnæ in suadenda venæfctione servandas.

I. Magis proficia est sanguinis subtractione carno corporis habitu præditis, quam obesis ac pinguis. Hi enim ab illis probe sunt distinguendi. In obesis quippe vasa exilia sunt, progressus humorum latus & perspiratio impeditior; in carnosis

E

autem

autem omnia secus. Vnde venæfectio illis longe  
facilius nocet, quam his.

II. Errorem committunt, qui artes operosas  
exercentibus plus sanguinis subtrahunt, quam sellu-  
larias tractantibus. Motus enim & exercitatio cor-  
poris ipsis quotidiana, ad justam quantitatem san-  
guinis in corpore servandam, & nimiam absumen-  
dam, jam est sufficiens. Sanguinis autem missio, vi-  
res labefactando, eosdem ad labores reddit minus a-  
ptos.

III. Perperam instituitur venæfectio, ubi pri-  
mæ viæ vitiosorum succorum colluvie scatent. Hac  
enim facta, sordes sanguinem subeunt ac retinentur  
facilius, ob imminutam ipsam ventriculi & intesti-  
norum vim expultricem. Quare consultius est, præ-  
mittere sanguinis missione ea, quæ alvum blande  
ducunt & canalem intestinorum a sordibus liberant.  
Nil tamen est deterius, quam in crasso sanguine tur-  
gidis impetuosas ac vehementes per inferiora, vel  
superiora moliri purgationes, quibus sanguis ex-  
agitatus, cum impetu ad incongrualoca propellitur,  
consequentiibus morbis gravissimis.

IV. Macilentores natura saepe plus sanguinis alunt  
in venis quam obesi & corporis habitu spongiosi. Vn-  
de liberaliorem his ferunt & posseunt sanguinis immi-  
nutionem. Sed distinguendi natura graciliores, ab  
iis, qui victus parsimonia, morbis, studiis, animi  
affectibus, veneris exercitio, tales facti; quia his da-  
mnosa effusior ejusmodi sanguinis subtræctio.

V. Ne-

V. Neque etiam in senibus reformidanda sanguinis missio. Sunt enim inter illos, qui appetentia integra laudabili vietu usi, sanguinis majorem quam par est in vasis colligunt quantitatem. Vnde in senili aetate interdum magis necessaria, quam alia, ad morbos grandevis familiares arcendos ipsamque mortem aliquamdiu protelandam.

VI. Cum sanguinei temperamenti corpora etiam multum inter se differant, dum alia carnosiora, robustiora & majoribus vasibus instructa, alia vero teneriora, cum valde exilibus & angustis vasibus, atque in illis pulsus plenus & magnus, in his autem debilior, oportet etiam Medicum hoc discrimen in sanguinis missione instituenda attendere, quia in illis venarum apertio plus utilitatis & securitatis, quam in hisce habet, si e.g. mensium ita, ut vel haemorrhoidum, suetus fluxus subtiliterat, non semel, sed aliquoties brevi post venam sectam in corporibus plenioribus sanguinis fluxum fuisse restitutum observaverimus.

VII. Summa prudentia ac judicio opus est, ut justa & corpori proportionata sanguinis quantitas emittatur. Sive enim nimium, sive parcus justo subtrahatur, nocet utrumque. Quapropter in definienda quantitate, exacta habenda est ratio aetatis, sexus, corporis habitus, pulsus, vitae generis, consuetudinis, morbi ipsius, maximeque omnium virium.

F I N I S.

Gelahrter

**S**ehrter Wahl, nun kommt die Zeit,  
Da Dein Verdienst den Lohn erlanget,  
Und da nach Ernst und Munterkeit  
Ein D. vor Deinem Namen pranger.  
Selbst Hoffmann, aller Aerzte Preis  
Will Dich mit eignen Händen schmücken,  
Und für den wohl geprüften Fleiß  
Den Hut auf Deine Scheitel drücken.  
O Freund! drum schweigt D. im Krause nicht:  
Er will und muss Dein Fest verehren;  
Und wünscht aus Liebe, Gunst und Pflicht,  
Siers Deiner Euren Loh zu hören.

Dieses schrieb mit vergnügtem Herzen

### Des Herrn CANDIDATI

ergebenster Freund und Diener

Johann VICTOR Krause

Mitglied der Deutschen Gesellschaft in Leipzig.

**S**u trist, geprächter Freund, der Weisheit rechte Bahn,  
Und willst wie an Verstand, so auch an Würde steigen:  
Da Thoren mancher Art aus angeerbten Bahn  
Die Weisheit in dem Fas und in dem Staube zeigen.  
Dein Endzweck stützt den Schlüß; du zeigst mit muntern Fioß  
Auf dem gelehrt Plätz durch Einsicht und durch Streiten  
Wie Dein' erlernte Kunst das Gist zu mindern weiß,  
Und willst davor den Crang der Ehren Dir erbeuten.  
Hygea segt daher Dein mehr als würdig Haupt  
Zum Priester ihrer Kunst. Ich aber will dis Zeichen  
Da mir so Glück, als Zeit nichts würdiger erlaubt  
Bey Deinen Ehren-Tag aus Ehrfurcht überrichten.

CHRISTIAN LVDEWIG Schleyer

Wedderstadio Halberstadiensis

S.S. Theol. Candidatus.

¶ o ( 80.

Halle Diss.) 1730 ff/2



TA-70C  
18.1-5 d.1,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

90.  
3  
DISSESSATIO IN AVGVRALIS  
DE

# VENÆSECTIONIS ABVSV

QVAM  
PROPIPIO NVMINE SVMMO  
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
SENIORE FACVLTATIS MEDICÆ  
ET H. t. DECANO

AD OBTINENDAM  
DOCTORIS MEDICINÆ  
DIGNITATEM

a. d. Aprilis anni R. S. ccccxxx.  
H. L. Q. C.

Publicæ disceptationi submitter  
Christian Gottlob Wahl,

HALENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

